

## CLAUDIEN

## PANEGYRIQUES POUR LES CONSULATS DE L'EMPEREUR HONORIUS (1571 vers)

## PANEGYRICUS DE TERTIO CONSULATU HONORII AUGUSTI

## PRAEFATIO

PH1\_1 v.1 Parvos non aquilis fas est educere fetus  
 2 ante fidem Solis iudiciumque poli.  
 3 Nam pater, excusso saliit cum germine proles  
 4 ovaque maternus rupit hiulca tepor,  
 5 protinus inplumes convertit ad aethera nidos  
 6 et recto flammis imperat ore pati.  
 7 consulit ardentis radios et luce magistra  
 8 natorum vires ingeniumque probat.  
 9 Degeneres refugo torsit qui lumine visus,  
 10 unguibus hunc saevis ira paterna ferit.  
 11 Exploratores oculis qui pertulit ignes  
 12 sustinuitque acie nobiliore diem,  
 13 nutritur volucrumque potens et fulminis heres,  
 14 gesturus summo tela trisulca Jovi.  
 15 Me quoque Pieriis temptatum saepius antris  
 16 audet magna suo mittere Roma deo.  
 17 Jam dominas aures, jam regia tecta meremur  
 18 et chelys Augusto iudice nostra sonat.

## PANEGYRICUS

PH1\_2 v.1 Tertia Romulei sumant exordia fasces,  
 2 terque tuas ducat bellatrix pompa curules ;  
 3 festior annus eat, cinctusque imitata Gabinos  
 4 dives Hydaspeis augescat purpura gemmis ;  
 5 succedant armis trabeae, tentoria lictor  
 6 ambiat, et Latiae redeant ad signa secures.  
 7 Tuque, o ! qui patrium caris aequalibus orbem  
 8 Eoo cum fratre regis, procede secundis  
 9 alitibus Phoebique novos ordire meatus,  
 10 spes votumque poli, quem primo a limine vitae  
 11 nutrix aula fovet, strictis quem fulgida telis  
 12 inter laurigeros aluerunt castra triumphos.  
 13 Ardua privatos nescit Fortuna penates  
 14 et regnum cum luce dedit. Cognata potestas  
 15 excepit Tyrio venerabile pignus in ostro ;  
 16 lustravitque tuos aquilis victricibus ortus  
 17 miles et in mediis cunabula praebuit hastis.  
 18 Te nascente, ferox toto Germania Rheno  
 19 intremuit, movitque suas formidine silvas  
 20 Caucasus et positus numen confessa pharetris  
 21 ignavas Meroe traxit de crine sagittas.  
 22 Reptasti per scuta puer, regumque recentes  
 23 exuviae tibi ludus erant, primusque solebas

24 aspera complecti torvum post proelia patrem,  
 25 signa triumphato quoties flexisset ab Histro  
 26 Arctoa de strage calens, et poscere partem  
 27 de spoliis Scythicos arcus aut rapta Gelonis  
 28 cingula vel jaculum Daci vel frena Suevi.  
 29 Ille coruscanti clipeo te saepe volentem  
 30 sustulit arridens et pectore pressit anhelō  
 31 intrepidum ferri, galeae nec triste timentem  
 32 fulgur et ad summas tendentem bracchia cristas.  
 33 tunc sic laetus ait : " Rex o stellantis Olympi,  
 34 talis perdomito redeat mihi filius hoste,  
 35 Hyrcanas populatus opes aut caede superbus  
 36 Assyria ; sic ense rubens, sic flamine crebro  
 37 turbidus et grato respersus pulvere belli,  
 38 armaque gavisō referat captiva parenti. "  
 39 Mox ubi firmasti recto vestigia gressu,  
 40 Non tibi desidias molles nec marcida luxu  
 41 otia nec somnos genitor permisit inertes,  
 42 sed nova per duros instruxit membra labores  
 43 et cruda teneras exercuit indole vires  
 44 frigora saeva pati, gravibus non cedere nimbis,  
 45 aestivum tolerare jubar, tranare sonoras  
 46 torrentum furias, ascensu vincere montes,  
 47 planitiem cursu, valles et concava saltu,  
 48 nec non in clipeo vigiles producere noctes,  
 49 in galea potare nives, nunc spicula cornu  
 50 tendere, nunc glandes Baleari spargere funda.  
 51 Quoque magis nimium pugnae inflammaret amorem,  
 52 facta tui numerabat avi, quem litus adustae  
 53 horrescit Libyae ratibusque inpervia Thyle.  
 54 Ille leves Mauros nec falso nomine Pictos  
 55 edomuit Scottumque vago mucrone secutus  
 56 fregit Hyperboreas remis audacibus undas  
 57 et geminis fulgens utroque sub axe trophaeis  
 58 Tethyos alternae refluas calcavit harenas.  
 59 Hos tibi virtutum stimulos, haec semina laudum,  
 60 haec exempla dabat. Non ocius hausit Achilles  
 61 semiferi praecepta senis, seu cuspidis artes  
 62 sive lyrae cantus, medicas seu disceret herbas.  
 63 Interea turbata fides : civilia rursus  
 64 bella tonant dubiumque quatit discordia mundum.  
 65 Pro crimen superum ! Longi pro dedecus aevi !  
 66 Barbarus Hesperias exul possederat urbes  
 67 sceptraque dejecto dederat Romana clienti.  
 68 Jam princeps molitur iter gentesque remotas  
 69 colligit Aurorae, tumidus quascumque pererrat  
 70 Euphrates, quas lustral Halys, quas ditat Orontes :  
 71 turiferos Arabes saltus, vada Caspia Medi,  
 72 Armenii Phasin, Parthi liquere Niphatem.  
 73 Quae tibi tum Martis rabies quantusque sequendi  
 74 ardor erat ! Quanto flagrabant pectora voto  
 75 optatas audire tubas campique cruenta  
 76 tempestate frui truncisque immergere plantas !  
 77 Ut leo quem fulvae matris spelunca tegebat  
 78 uberibus solitum pasci, cum crescere sensit  
 79 ungue pedes et terga jubis et dentibus ora,  
 80 jam negat imbelles epulas et rupe relictā  
 81 Gaetulo comes ire patri stabulisque minari

82 aestuat et caesi terga absorbere juvenci.  
83 Ille vetat rerumque tibi commendat habenas  
84 et sacro meritos ornat diademate crines.  
85 Tantaque se rudibus pietas ostendit in annis,  
86 sic aetas animo cessit, quererentur ut omnes  
87 imperium tibi sero datum. Victoria velox  
88 auspiciis effecta tuis. Pugnastis uterque :  
89 tu fatis genitorque manu. Te propter et Alpes  
90 invadi faciles, cauto nec profuit hosti  
91 munitis haesisse locis : spes irrita valli  
92 concidit et scopulis patuerunt claustra revulsis.  
93 Te propter gelidis Aquilo de monte procellis  
94 obruit adversas acies revolutaque tela  
95 vertit in auctores et turbine reppulit hastas.  
96 O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris  
97 Aeolus armatas hiemes, cui militat aether  
98 et conjurati veniunt ad classica venti.  
99 Alpinae rubuere nives, et Frigidus amnis  
100 mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum  
101 stare, ni rapidus juvisset flumina sanguis.  
102 At ferus inventor scelerum trajecerat altum  
103 Non uno mucrone latus, duplexque tepebat  
104 ensis, et ultrices in se converterat iras  
105 tandem justa manus. Jam libertate reducta,  
106 quamvis emeritum peteret Natura reverti  
107 numen et auratas astrorum panderet arces,  
108 nutaretque oneri venturo conscius Atlas,  
109 distulit Augustus cupido se credere caelo,  
110 dum tibi pacatum praesenti traderet orbem.  
111 Nec mora : Bistoniis alacer consurgis ab oris,  
112 inter barbaricas ausus transire cohortes  
113 impavido vultu ; linqvis Rhodopeia saxa  
114 Orpheis animata modis ; juga deseris Oetes  
115 Herculeo damnata rogo ; post Pelion intras  
116 Nereis inlustre toris ; te pulcher Enipeus  
117 celsaque Dodone stupuit rursusque locutae  
118 in te Chaoniae moverunt carmina quercus.  
119 Illyrici legitur plaga litoris ; arva teruntur  
120 Dalmatiae ; Phrygii numerantur stagna Timavi.  
121 Gaudent Italiae sublimibus oppida muris  
122 adventu sacrata tuo, submissus adorat  
123 Eridanus blandosque jubet mitescere fluctus,  
124 et Phaethontas solitae deflere ruinas  
125 roscida frondosae revocant electra sorores.  
126 Quanti tum juvenes, quantae sprevere pudorem  
127 spectandi studio matres, puerisque severi  
128 certavere senes, cum tu genitoris amico  
129 exceptus gremio mediam veherere per urbem,  
130 velaretque pios communis laurea currus !  
131 Quis non Luciferum roseo cum Sole videri  
132 credidit aut junctum Bromio radiare Tonantem ?  
133 Fervet cristatis exercitus undique turmis,  
134 quisque sua te voce canens. Praestringit aena  
135 lux oculos, nudique seges Mavortia ferri  
136 ingeminat splendore diem. Pars nobilis arcu,  
137 pars longe jaculis, pars comminus horrida contis ;  
138 hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum  
139 colla levant, multusque tumet per nubila serpens

140 iratus stimulante Noto vivitque receptis  
141 flatibus et vario mentitur sibila tractu.  
142 Ut ventum ad sedes, cunctos discedere tectis  
143 dux jubet et generum compellat talibus ultro :  
144 " Bellipotens Stilicho, cujus mihi robur in armis,  
145 Pace probata fides : quid enim per proelia gessi  
146 te sine ? Quem merui te non sudante triumphum ?  
147 Odrysium pariter Getico foedavimus Hebrum  
148 sanguine, Dalmaticas pariter prostravimus alas  
149 Rhiphaeaeque simul fessos porreximus artus  
150 in glacie stantemque rota sulcavimus Histrum.  
151 Ergo age, me quoniam caelestis regia poscit,  
152 tu curis succede meis, tu pignora solus  
153 nostra fove : geminos dextra tu protege fratres.  
154 Per consanguineos thalamos noctemque beatam,  
155 per taedas quas ipsa tuo regina levavit  
156 conjugio sociaque nurum produxit ab aula,  
157 indue mente patrem, crescentes dilige fetus  
158 ut ducis, ut soceri. Jamjam securus ad astra  
159 te custode ferar. Rupta si mole Typhoeus  
160 undis prosiliat, Tityos si membra resolvat,  
161 si furor Enceladi projecta mugiat Aetna,  
162 opposito Stilichone calent." Nec plura locutus,  
163 sicut erat, liquido signavit tramite nubes  
164 ingrediturque globum Lunae limenque relinquit  
165 Arcados et Veneris clementes advolat auras.  
166 Hinc Phoebi permensus iter flammamque nocentem  
167 gradivi placidumque Jovem, stetit arce suprema,  
168 argenti qua zona riget Saturnia tractu.  
169 Machina laxatur caeli, rutilaeque patescunt  
170 sponte fores. Arctoa parat convexa Bootes,  
171 Australes reserat portas succinctus Orion,  
172 invitantque novum sidus pendentque vicissim  
173 quas partes velit ipse sequi, quibus esse sodalis  
174 dignetur stellis aut qua regione moveri.  
175 O decus aetherium, terrarum gloria quondam,  
176 te tuus Oceanus natali gurgite lassum  
177 excipit et notis Hispania proluit undis.  
178 Fortunate parens, primos cum detegis ortus,  
179 aspicias Arcadium ; cum te proclivior urges,  
180 occiduum visus remoratur Honorius ignem ;  
181 et quocumque vagos flectas sub cardine cursus,  
182 natorum per regna venis, qui mente serena  
183 maturoque regunt junctas moderamine gentes,  
184 saecula qui rursus formant meliore metallo.  
185 Luget Avarities Stygiis innexa catenis  
186 cumque suo demens expellitur Ambitus auro.  
187 Nec dominantur opes nec corrumpentia sensus  
188 dona valent : emitur sola virtute potestas.  
189 Unanimi fratres, quorum mare terraque fati  
190 debentur, quodcumque manus evasit avitas,  
191 quod superest patri : vobis jam Mulciber arma  
192 praeparat et Sicula Cyclops incude laborat,  
193 Brontes innumeris exasperat aegida signis,  
194 altum fulminea crispate in casside conum  
195 festinat Steropes, nectit thoraca Pyragmon,  
196 ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.  
197 Vobis Ionia virides Neptunus in alga

198 nutrit equos, qui summa freti per caerula possunt  
 199 ferre viam segetemque levi percurrere motu,  
 200 nesciat ut spumas, nec proterat ungula culmos.  
 201 Jam video Babylona rapi Parthumque coactum  
 202 non ficta trepidare fuga, jam Bactra teneri  
 203 legibus et famulis Gangen pallescere ripis  
 204 gemmatosque humilem dispergere Persida cultus.  
 205 Ite per extremum Tanaim, pigrosque Triones,  
 206 ite per ardentem Libyam, superate vapores  
 207 solis et arcanos Nili deprendite fontes,  
 208 Herculeum finem, Bacchi transcurrите metas :  
 209 vestri juris erit, quicquid complectitur axis.  
 210 Vobis rubra dabunt pretiosas aequora conchas,  
 211 Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

PANEGYRICUS DE QUARTO CONSULATU HOHORII AUGUSTI

PH2\_1 v.1 Auspiciis iterum sese regalibus annus  
 2 induit, et nota fruitur jactantior aula ;  
 3 limina nec passi circum privata morari  
 4 exultant reduces Augusto consule fasces.  
 5 Cernis ut armorum proceres legumque potentes  
 6 patricos sumunt habitus, et more Gabino  
 7 discolor incedit legio positisque parumper  
 8 bellorum signis sequitur vexilla Quirini ?  
 9 Lictori cedunt aquilae ridetque togatus  
 10 miles, et in mediis effulget Curia castris.  
 11 Ipsa Palatino circumvallata Senatu  
 12 jam trabeam Bellona gerit parmamque removit  
 13 et galeam, sacras humeris vectura curules.  
 14 Nec te laurigeras pudeat, Gradive, secures  
 15 pacata gestare manu, Latiaque micantem  
 16 loricam mutare toga, dum ferreus haeret  
 17 currus, et Eridani ludunt per prata jugales.  
 18 Haud indigna coli nec nuper cognita Marti  
 19 Ulpia progenies et quae diademata mundo  
 20 sparsit Hibera domus. Nec tantam vilior unda  
 21 promeruit seriem gentis : cunabula fovit  
 22 Oceanus ; terrae dominos pelagique futuros  
 23 immenso decuit rerum de principe nasci.  
 24 Hinc processit avus, cui post Arctoa frementi  
 25 classica Massylas adnexuit Africa lauros,  
 26 ille Caledoniis posuit qui castra pruinis,  
 27 qui medios Libyae sub casside pertulit aestus,  
 28 terribilis Mauro debellatorque Britannii  
 29 litoris ac pariter Boreae vastator et Austri.  
 30 Quid rigor aeternus, caeli quid frigora prosunt  
 31 ignotumque fretum ? Maduerunt Saxone fuso  
 32 Orcades ; incaluit pictorum sanguine Thyle ;  
 33 Scottorum cumulos flevit glacialis Hiberne.  
 34 Quis calor obsistit forti ? Per vasta cucurrit  
 35 Aethiopum cinxitque novis Atlanta manipulis ;  
 36 virgineum Tritona bibit sparsosque venenis

37 Gorgoneos vidit thalamos et vile virentes  
 38 Hesperidum risit, quos ditat fabula ramos.  
 39 Arx incensa Jubae, rabies Maurusia ferro  
 40 cessit et antiqui penetralia diruta Bocchi.  
 41 Sed laudes genitor longe transgressus avitas  
 42 subdidit Oceanum sceptris et margine caeli  
 43 clausit opes, quantum distant a Tigride Gades,  
 44 inter se Tanais quantum Nilusque relinquunt.  
 45 Hac tamen, innumeris per se quaesita trophaeis,  
 46 Non generis dono, non ambitione potitus :  
 47 digna legi virtus. Ultro se purpura supplex  
 48 obtulit et solus meruit regnare rogatus.  
 49 Nam, cum barbaries penitus commota gementem  
 50 intrueret Rhodopen et mixto turbine gentes  
 51 jam deserta suas in nos transfunderet Arctos,  
 52 Danubii totae vomerent cum proelia ripae,  
 53 cum Geticis ingens premeretur Mysia plaustris  
 54 flavaque Bistonios operirent agmina campos,  
 55 omnibus afflictis et vel labentibus ictu  
 56 vel prope casuris, unus tot funera contra  
 57 restitit extinxitque faces agrisque colonos  
 58 reddidit et leti rapuit de faucibus urbes.  
 59 Nulla relicta foret Romani nominis umbra,  
 60 ni pater ille tuus jamjam ruitura subisset  
 61 pondera turbatamque ratem certaue levasset  
 62 naufragium commune manu. Velut ordine rupto  
 63 cum procul insanae traherent Phaethonta quadrigae  
 64 saeviretque dies terramque et stagna propinqui  
 65 haurirent radii, solito cum murmure torvus  
 66 Sol occurrit equis ; qui postquam rursus eriles  
 67 agnovere sonos, rediit meliore magistro  
 68 machina concentusque poli, currusque recepit  
 69 imperium flammaeque modum ; sic traditur illi  
 70 servaturque Oriens. At non pars altera rerum  
 71 tradita : bis possessa manu, bis parta periclis.  
 72 Per varium gemini scelus erupere tyranni  
 73 tractibus occiduis : hunc saeva Britannia fudit,  
 74 hunc sibi Germanus famulum delegerat exsul.  
 75 Ausus uterque nefas, domini respersus uterque  
 76 insontis jugulo. Novitas audere priori  
 77 suadebat cautumque dabant exempta sequentem.  
 78 Hic nova moliri praeceps, hic quaerere tuta  
 79 providus ; hic fuis, collectis viribus ille ;  
 80 hic vagus excurrrens, hic inter claustra reductus ;  
 81 dissimiles, sed morte pares : evadere neutri  
 82 dedecus aut mixtis licuit procumbere telis.  
 83 Amissa specie, raptis insignibus, ambo  
 84 in vultus rediere suos manibusque revinctis  
 85 oblatis gladiis submitunt colla paratis  
 86 et vitam veniamque rogant. Pro damna pudoris !  
 87 Qui modo tam densas nutu movere cohortes,  
 88 in quos jam dubius sese libraverat orbis,  
 89 Non hostes victore cadunt, sed iudice sontes.  
 90 Damnat voce reos, petiit quos Marte tyrannos.  
 91 Amborum periire duces : hic sponte carina  
 92 decidit in fluctus, illum suus abstulit ensis.  
 93 Hunc Alpes, hunc pontus habet. Solacia caesis  
 94 fratribus haec ultor tribuit : necis auctor uterque

95        labitur. Augustas par victima mitigat umbras.  
 96        Has dedit inferias tumulis, juvenumque duorum  
 97        purpureos merito placavit sanguine Manes.  
 98        Illi justitiam confirmavere triumpho,  
 99        praesentes docuere deos. Hinc saecula discant  
 100        indomitum nihil esse pio tutumve nocenti.  
 101        Nuntius ipse sui longas incognitus egit  
 102        praevento rumore vias, inopinus utrumque  
 103        perculit, et clausos montes, ut plana, reliquit.  
 104        Extruite inmanes scopulos, attollite turres,  
 105        cingite vos fluviis, vastas opponite silvas,  
 106        Garganum Alpinis Apenninumque nivalem  
 107        permixtis sociate jugis, et rupibus Haemum  
 108        addite Caucaseis, involvite Pelion Ossae :  
 109        Non dabitur murum sceleri. Qui vindicet, ibit.  
 110        Omnia subsident meliori pervia causae.  
 111        Nec tamen oblitus civem cedentibus atrox  
 112        partibus infremuit : non insultare jacenti  
 113        malebat. Mitis precibus, pietatis abundans,  
 114        poenae parcus erat. Paci non intulit iram :  
 115        post acies odiis idem qui terminus armis.  
 116        Profuit hoc vincente capi multosque subactos  
 117        aspera laturae commendavere catenae.  
 118        Magnarum largitor opum, largitor honorum  
 119        pronus et in melius gaudens convertere fata.  
 120        Hinc amor, hinc validum devoto milite robur,  
 121        hinc natis mansura fides. Hoc nobilis ortu  
 122        nasceris aequaeva cum majestate creatus  
 123        nullaque privatae passus contagia sortis.  
 124        Omnibus acceptis ultro te regia solum  
 125        protulit et patrio felix adolescens in ostro,  
 126        membraque vestitu nunquam violata profano  
 127        in sacros cecidere sinus. Hispania patrem  
 128        auriferis eduxit aquis, te gaudet alumno  
 129        Bosphorus. Hesperio de limine surgit origo,  
 130        sed nutrix Aurora tibi ; pro pignore tanto  
 131        certatur, geminus civem te vindicat axis.  
 132        Herculis et Bromii sustentat gloria Thebas,  
 133        haesit Apollineo Delos Latonia partu  
 134        Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti ;  
 135        sed melior Delo, Dictaeis clarior oris  
 136        quae dedit hoc numen regio. Non litora nostro  
 137        sufficerent angusta deo, nec inhospita Cynthi  
 138        saxa tuos artus duro laesere cubili :  
 139        adclinis genetrix auro, circumflua gemmis  
 140        in Tyrios enixa toros ; ululata verendis  
 141        aula puerperiis. Quae tunc documenta futuri !  
 142        Quae voces avium ! Quanti per inane volatus !  
 143        Quis vatum discursus erat ! Tibi corniger Hammon,  
 144        et dudum taciti rupere silentia Delphi.  
 145        Te Persae cecinere magi, te sensit Etruscus  
 146        augur et inspectis Babylonius horruit astris,  
 147        Chaldaei stupere senes Cumanaque rursus  
 148        intonuit rupes, rabidae delubra Sibyllae.  
 149        Nec te progenitum Cybeleius aere sonoro  
 150        lustravit Corybas : exercitus undique fulgens  
 151        astitit. Ambitur signis augustior infans ;  
 152        sensit adorantes galeas, redditque ferocem

153 vagitum lituis. Vitam tibi contulit idem  
154 imperiumque dies. Inter cunabula consul  
155 proveheris, signans posito modo nomine fastos,  
156 donaturque tibi, qui te produxerat, annus.  
157 Ipsa Quirinali parvum te cinxit amictu  
158 mater et ad primas docuit reptare curules.  
159 Uberibus sanctis immortalique dearum  
160 crescis adoratus gremio : tibi saepe Diana  
161 Maenaios arcus venatricesque pharetras  
162 suspendit, puerile decus ; tu saepe Minervae  
163 lusisti clipeo fulvamque inpune pererrans  
164 aegida, tractasti blandos interritus angues ;  
165 saepe tuas etiam jam tunc gaudente marito  
166 velavit regina comas festinaque voti  
167 praesumptum diadema dedit ; tum lenibus ulnis  
168 sustulit et magno porrexit ad oscula patri.  
169 Nec dilatus honos : mutatus Principe Caesar,  
170 protinus aequaris fratri. Non certius unquam  
171 hortati Superi, nullis praesentior aether  
172 affuit ominibus. Tenebris involverat atris  
173 lumen hiems, densosque Notus collegerat imbres.  
174 Sed mox, cum solita miles te voce levasset,  
175 nubila dissolvit Phoebus pariterque dabantur  
176 sceptrata tibi mundoque dies : caligine liber  
177 Bosphorus adversam patitur Calchedona cerni.  
178 Nec tantum vicina nitent, sed tota repulsis  
179 nubibus exiit Thrace, Pangaea renident  
180 insuetosque palus radios Maeotica vibrat.  
181 Nec Boreas nimbos aut Sol ardentior egit :  
182 imperii lux illa fuit. Praesagus obibat  
183 cuncta nitor risitque tuo Natura sereno.  
184 Visa etiam medio populis mirantibus audax  
185 Stella die, dubitanda nihil nec crine retuso  
186 languida, sed quantus numeratur nocte Bootes,  
187 emicuitque plagis alieni temporis hospes  
188 ignis et agnosci potuit, cum luna lateret :  
189 sive parens Augusta fuit, seu forte reluxit  
190 divus avus, seu te claris properantibus astris  
191 cernere Sol patiens caelum commune remisit.  
192 Apparet quid signa ferant. Ventura potestas  
193 claruit Ascanio, subita cum luce comarum  
194 innocuus flagraret apex Phrygioque volutus  
195 vertice fatalis redimiret tempora candor.  
196 At tua caelestes illustrant omina flammae.  
197 Talis ab Idaeis primaevus Juppiter antris  
198 possessi stetit arce poli famulosque recepit  
199 Natura tradente deos ; lanugine nondum  
200 vernabant vultus nec adhuc per colla fluebant  
201 moturae convexa comae ; tum scindere nubes  
202 discebat, fulmenque rudi torquere lacerto.  
203 Laetior augurio genitor natisque superbus  
204 jam paribus duplici fultus consorte redibat  
205 splendebatque pio complexus pignora curru.  
206 Haud aliter summo gemini cum patre Lacones,  
207 progenies Ledaea, sedent : in utroque relucet  
208 frater, utroque soror ; simili chlamys effluit auro ;  
209 stellati pariter crines. Juvat ipse Tonantem  
210 error et ambiguae placet ignorantia matri ;

211 Eurotas proprios discernere nescit alumnos.  
 212 Ut domus exceptit reduces, ibi talia tecum  
 213 pro rerum stabili fertur ditione locutus :  
 214 " Si tibi Parthorum solium Fortuna dedisset,  
 215 care puer, terrisque procul venerandus Eois  
 216 barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras,  
 217 sufficeret sublime genus luxuque fluentem  
 218 deside nobilitas posset te sola tueri.  
 219 Altera Romanae longe rectoribus aulae  
 220 condicio. Virtute decet, non sanguine niti.  
 221 Major et utilior fato conjuncta potenti,  
 222 vile latens virtus (quid enim submersa tenebris  
 223 proderit obscuro ?), veluti sine remige puppis  
 224 vel lyra quae reticet vel qui non tenditur arcus.  
 225 Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante  
 226 semet, et incertos animi pacaverit aestus,  
 227 inveniet ; longis illuc ambagibus itur.  
 228 Disce orbis quod quisque sibi. Cum conderet artus  
 229 nostros, aethereis miscens terrena, Prometheus,  
 230 sinceram patri mentem furatus Olympo  
 231 continuit claustris indignantemque revinxit  
 232 et, cum non aliter possent mortalia fingi,  
 233 adjunxit geminas. Illae cum corpore lapsae  
 234 intereunt, haec sola manet bustoque superstes  
 235 evolat. Hanc alta capitis fundavit in arce  
 236 mandatricem operum, prospecturamque labori ;  
 237 illas inferius collo praeceptaque summae  
 238 passuras dominae digna statione locavit.  
 239 Quippe opifex veritus confundere sancta profanis  
 240 distribuit partes animae sedesque removit.  
 241 Iram sanguinei regio sub pectore cordis  
 242 protegit inbutam flammis avidamque nocendi  
 243 praecipitemque sui. Rabie succensa tumescit,  
 244 contrahitur tepefacta metu. Cumque omnia secum  
 245 duceret et requiem membris vesana negaret,  
 246 invenit pulmonis opem madidumque furenti  
 247 praebuit, ut tumidae ruerent in mollia fibrae.  
 248 At sibi cuncta petens, nil collatura cupido,  
 249 in jecur et tractus imos compulsa recessit,  
 250 quae, velut immanes reserat dum belua rictus,  
 251 expleri pascique velit : nunc verbere curas  
 252 torquet avaritiae, stimulis nunc flagrat amorum,  
 253 nunc gaudet, nunc maesta dolet satiataque rursus  
 254 exoritur caesaque redit pollentius Hydra.  
 255 Hos igitur potuit si quis sedare tumultus,  
 256 inconcussa dabit purae sacraria menti.  
 257 Tu licet extremos late dominere per Indos,  
 258 te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,  
 259 si metuis, si prava cupis, si duceris ira,  
 260 servitii patiēre jugum ; tolerabis iniquas  
 261 interius leges. Tunc omnia jure tenebis,  
 262 cum poteris rex esse tui. Proclivior usus  
 263 in pejora datur suadetque licentia luxum  
 264 illecebrisque effrena favet. Tum vivere caste  
 265 asperius, cum prompta Venus ; tum durius irae  
 266 consulimus, cum poena patet. Sed comprime motus  
 267 nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit  
 268 occurrat, mentemque domet respectus honesti.

269 Hoc te praeterea crebro sermone monebo,  
270 ut te totius medio telluris in orbe  
271 vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse  
272 facta palam nec posse dari regalibus unquam  
273 secretum vitiis ; nam lux altissima fati  
274 occultum nil esse sinit, latebrasque per omnes  
275 intrat et obstruosos explorat fama recessus.  
276 Sis pius in primis. Nam, cum vincamur in omni  
277 munere, sola Deos aequat clementia nobis.  
278 Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis  
279 rumorumve avidus : qui talia curat, inanes  
280 horrebit strepitus, nulla non anxius hora.  
281 Non sic excubiae, non circumstantia pila  
282 quam tutatur amor. Non extorquebis amari ;  
283 Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.  
284 Nonne vides, operum quod se pulcherrimus ipse  
285 mundus amore liget, nec vi conexa per aevum  
286 conspirent elementa sibi ? Quod limite Phoebus  
287 contentus medio, contentus litore pontus  
288 et, qui perpetuo terras ambitque vehitque,  
289 nec premat incumbens, oneri nec cesserit aer ?  
290 Qui terret, plus ipse timet ; sors ista tyrannis  
291 convenit ; invideant claris fortesque trucidant,  
292 muniti gladiis vivant saeptique venenis,  
293 ancipites habeant arces, trepidique minentur :  
294 tu civem patremque geras, tu consule cunctis,  
295 non tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.  
296 In commune jubes si quid censesque tenendum,  
297 primus jussa subi : tunc observantior aequi  
298 fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum  
299 auctorem parere sibi. Componitur orbis  
300 regis ad exemptum, nec sic inflectere sensus  
301 humanos edicta valent quam vita regentis.  
302 Mobile mutatur semper cum principe vulgus.  
303 His tamen effectis nec fastidire minores  
304 neu pete praescriptos homini transcendere fines.  
305 Inquinat egregios adjuncta superbia mores.  
306 Non tibi tradidimus dociles servire Sabaeos,  
307 Armeniae dominum non te praefecimus orae,  
308 nec damus Assyriam, tenuit quam femina, gentem.  
309 Romani, qui cuncta diu rexere, regendi,  
310 qui nec Tarquinii fastus nec jura tulere  
311 Caesaris. Annales veterum delicta loquuntur :  
312 haerebunt maculae. Quis non per saecula damnat  
313 Caesareae portenta domus ? Quem dira Neronis  
314 funera, quem rupes Caprearum taetra latebit  
315 incesto possessa seni ? Victura feretur  
316 Gloria Trajani, non tam quod Tigride victo  
317 nostra triumphati fuerint provincia Parthi,  
318 alta quod invectus fractis Capitolia Dacis,  
319 quam patriae quod mitis erat. Ne desine tales,  
320 nate, sequi. Si bella canant, prius agmina duris  
321 exerce studiis et saevo praestruere Marti.  
322 Non brumae requies, non hibernacula segnes  
323 enervent torpore manus. Ponenda salubri  
324 castra loco ; praebenda vigil custodia vallo.  
325 Disce ubi densus erit cuneus, ubi cornua tendi  
326 aequius, aut iterum flecti ; quae montibus aptae,

327 quae campis acies, quae fraudi commoda vallis,  
 328 quae via difficilis. Fidit si moenibus hostis,  
 329 tum tibi murali libretur machina pulsu ;  
 330 saxa rota ; praeceps aries protectaque portas  
 331 testudo feriat ; ruat emersura iuventus  
 332 effossi per operta soli. Si longa moretur  
 333 obsidio, tum vota cave secura remittas  
 334 inclusumve putes ; multis damnosa fuere  
 335 gaudia ; dispersi pereunt somnove soluti ;  
 336 saepius incautae nocuit victoria turbae.  
 337 Neu tibi regificis tentoria larga redundant  
 338 deliciis, neve imbelles ad signa ministros  
 339 luxuries armata trahat. Neu flantibus Austris  
 340 neu pluviis cedas, neu defensura calorem  
 341 aurea submoveant rapidos umbracula soles.  
 342 Inventis utere cibus. Solabere partes  
 343 aequali sudore tuas : si collis iniquus,  
 344 primus ini ; silvam si caedere provocat usus,  
 345 sumpta ne pudeat quercum stravisse bipenni.  
 346 Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum  
 347 praetemptet sonipes. Fluvios tu protere curru  
 348 horrentes glacie, liquidos tu scinde natatu.  
 349 Nunc eques in medias equitum teconsere turmas ;  
 350 nunc pedes adsistas pediti. Tunc promptius ibunt  
 351 te socio, tum conspicuus gratusque geretur  
 352 sub te teste labor. " Dicturum plura parentem  
 353 voce subit : " Equidem, faveant modo numina coeptis,  
 354 haec effecta dabo, nec me fratrique tibi  
 355 dissimilem populi commissaque regna videbunt.  
 356 Sed cur non potius, verbis quae disseris, usu  
 357 experior ? Gelidas certe nunc tendis in Alpes.  
 358 Duc tecum comitem ; figant, sine, nostra tyrannum  
 359 spicula ; pallescat nostro, sine, barbarus arcu.  
 360 Italiamne feram furiis praedonis acerbi  
 361 subjectam ? Patiar Romam servire clienti ?  
 362 Usque adeone puer ? Nec me polluta potestas  
 363 nec pia cognati tanget vindicta cruoris ?  
 364 Per strages equitare libet. Da protinus arma.  
 365 Cur annos obicis ? Pugnae cur arguor impar ?  
 366 Aequalis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus  
 367 verteret et patri non degeneraret Achilli.  
 368 Denique si princeps castris haerere nequibo,  
 369 vel miles veniam. " Delibat dulcia nati  
 370 oscula miratusque refert : " Laudanda petisti ;  
 371 sed festinus amor. Veniet robustior aetas ;  
 372 ne propera. Necdum decimas emensus aristas  
 373 aggredieris metuenda viris : vestigia magnae  
 374 indolis agnosco. Fertur Pellaeus, Eoium  
 375 qui domuit Porum, cum prospera saepe Philippi  
 376 audiret, laetos inter flevisse sodales  
 377 nil sibi vincendum patris virtute relinqui.  
 378 Hos video motus. Fas sit promittere patri :  
 379 tantus eris. Nostro nec debes regna favori,  
 380 quae tibi jam Natura dedit. Sic mollibus olim  
 381 stridula ducturum pratibus examina regem  
 382 nascentem venerantur apes et publica mellis  
 383 jura petunt traduntque favos ; sic pascua parvus  
 384 vindicat et necdum firmatis cornibus audax

385 jam regit armentum vitulus. Sed proelia differ  
 386 in juvenem patiensque meum cum fratre tuere  
 387 me bellante locum. Vos inpacatus Araxes,  
 388 vos celer Euphrates timeat, sit Nilus ubique  
 389 vester et emisso quidquid sol imbuit ortu.  
 390 Si pateant Alpes, habeat si causa secundos  
 391 justior eventus, aderis partesque receptas  
 392 suscipies, animosa tuas ut Gallia leges  
 393 audiat et nostros aequus modereris Hiberos.  
 394 Tunc ego securus fati laetusque laborum  
 395 discedam, vobis utrumque regentibus axem.  
 396 Interea Musis animus, dum mollior, instet  
 397 et quae mox imitere legat ; nec desinat unquam  
 398 tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.  
 399 Antiquos evolve duces, adsuesce futurae  
 400 militiae, Latium retro te confer in aevum.  
 401 Libertas quaesita placet ? Mirabere Brutum.  
 402 Perfidiam damnas ? Metti satiabere poenis.  
 403 Triste rigor nimius ? Torquati despice mores.  
 404 Mors inpensa bonum ? Decios venerare ruentes.  
 405 Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto  
 406 oppositus Cocles, Muci te flamma docebit ;  
 407 quid mora perfringat, Fabius ; quid rebus in artis  
 408 dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus.  
 409 Discitur hinc nullos meritis obsistere casus :  
 410 prorogat aeternam feritas tibi Punica famam,  
 411 Regule ; successus superant adversa Catonis.  
 412 Discitur hinc quantum paupertas sobria possit :  
 413 pauper erat Curius, reges cum vinceret armis,  
 414 pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum.  
 415 Sordida Serranus flexit dictator aratra :  
 416 lustratae lictore casae fascesque salignis  
 417 postibus afflixi ; collectae consule messes  
 418 et sulcata diu trabeato rura colono. "  
 419 Haec genitor praecepta dabat, velut ille carinae  
 420 longaeveus rector, variis quem saepe procellis  
 421 exploravit hiems, ponto jam fessus et annis  
 422 aequoreas alni nato commendat habenas  
 423 et casus artesque docet : quo dextra regatur  
 424 sidere, quo fluctus possit moderamine falli,  
 425 quae nota nimborum ; quae fraus infida sereni,  
 426 quid sol occiduis prodat, quo saucia vento  
 427 decolor iratos attollat Cynthia vultus.  
 428 Aspice nunc, quacumque micas, seu circulus Austri,  
 429 magne parens, gelidi seu te meruere Triones,  
 430 aspice : completur votum. Jam natus adaequat  
 431 te meritis et, quod magis est optabile, vincit.  
 432 Subnixus Stilichone tuo, quem fratribus ipse  
 433 discedens clipeum defensoremque dedisti.  
 434 Pro nobis nihil ille pati nullumque recusat  
 435 discrimen temptare sui, non dura viarum,  
 436 Non incerta maris : Libyae squalentis harenas  
 437 audebit superare pedes madidaque cadente  
 438 Pleiade Gaetulas intrabit Syrtibus undas.  
 439 Hunc tamen in primis populos lenire feroces  
 440 et Rhenum pacare jubes. Volat ille citatis  
 441 vectus equis nullaque latus stipante caterva,  
 442 aspera nubiferas qua Raetia porrigit Alpes,

443 pergit, et hostiles (tanta est fiducia !) ripas  
444 incomitatus adit. Totum properare per amnem  
445 attonitos reges humili cervice videres.  
446 Ante ducem nostrum flavam sparsere Sygambri  
447 caesariem, pavidoque orantes murmure Franci  
448 procubuere solo ; juratur Honorius absens  
449 imploratque tuum supplex Alamannia nomen.  
450 Bastarnae venere truces, venit accola silvae  
451 Bructerus Hercyniae, latisque paludibus exit  
452 Cimber et ingentes Albin liquere Cherusci.  
453 Accipit ille preces varias tardeque rogatus  
454 annuit et pacem magno pro munere donat.  
455 Nobilitant veteres Germanica foedera Drusus,  
456 Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta.  
457 Quis victum meminit sola formidine Rhenum ?  
458 Quod longis alii bellis potuere mereri,  
459 hoc tibi dat Stilichonis iter. Post otia Galli  
460 limitis hortaris Graias fulcire ruinas.  
461 Ionium tegitur velis ventique laborant  
462 tot curvare sinus servaturasque Corinthum  
463 prosequitur facili Neptunus gurgite classes,  
464 et puer Isthmiaci jam pridem litoris exul,  
465 secura repetit portus cum matre Palaemon.  
466 Castra cruore natant ; metitur pellita juvenus.  
467 Pars morbo, pars ense perit. Non lustra Lycaeii,  
468 Non Erymantheae jam copia sufficit umbrae  
469 innumeris exusta rogis, nudataque ferro  
470 sic flagrasse suas laetantur Maenala silvas.  
471 Excutiat cineres Ephyre, Spartanus et Arcas  
472 tutior exangues pedibus proculcet acervos  
473 fessaque pensatis respiret Graecia poenis.  
474 Gens, qua non Scythicos diffusior ulla Triones  
475 incoluit, cui parvus Athos angustaque Thrace,  
476 cum transiret, erat, per te viresque tuorum  
477 fracta ducum lugetque sibi jam rara superstes,  
478 et, quorum turbae spatium vix praebuit orbis,  
479 uno colle latent. Sitiens inclusaque vallo  
480 ereptas quaesivit aquas, quas hostibus ante  
481 contiguas alio Stilicho deflexerat arcu  
482 mirantemque novas ignota per avia valles  
483 jusserat adverso fluvium migrare meatu.  
484 Obvia quid mirum vinci, cum Barbarus ultro  
485 jam cupiat servire tibi ? Tua Sarmata discors  
486 sacramenta petit, projecta fraude Gelonus  
487 militat, in Latios ritus transistis Alani.  
488 Ut fortes in Marte viros animisque paratos,  
489 sic justos in pace legis longumque tueris  
490 electos, crebris nec succedentibus urges.  
491 Judicibus notis regimur, fruimurque quietis  
492 militiaeque bonis, ceu bellatore Quirino,  
493 ceu placido moderante Numa. Non imminet ensis,  
494 nullae nobilium caedes ; non crimina vulgo  
495 texuntur ; patria maestus non truditur exul ;  
496 impia continui cessant augmenta tributi ;  
497 Non infelices tabulae ; non hasta refixas  
498 vendit opes avidis ; emptor non voce citatur,  
499 nec tua privatis crescunt aeraria damnis.  
500 Munificus laudis, sed non et prodigus auri.

501 Perdurat non empta fides nec pectora merces  
502 alligat ; ipsa suo pro pignore castra laborant ;  
503 te miles nutritor amat. Quae denique Romae  
504 cura tibi ! Quam fixa manet reverentia patrum !  
505 Firmatur senium juris priscamque resumunt  
506 canitiem leges emendanturque vetustae  
507 acceduntque novae. Talem sensere Solonem  
508 res Pandioniae ; sic armipotens Lacedaemon  
509 despexit muros rigido munita Lycurgo.  
510 Quae sub te vel causa brevis vel iudicis error  
511 neglegitur ? Dubiis quis litibus addere finem  
512 justior et mersum latebris educere verum ?  
513 Quae pietas quantusque rigor tranquillaque magni  
514 vis animi nulloque levis terrore moveri  
515 nec nova mirari facilis ! Quae docta facultas  
516 ingenii linguaeque modus ! Responsa verentur  
517 legati gravibusque latet sub moribus aetas.  
518 Quantus in ore pater radiat ! Quam torva voluptas  
519 frontis et augusti majestas grata pudoris !  
520 Jam patrias inpleas galeas ; jam cornus avita  
521 temptatur vibranda tibi ; promittitur ingens  
522 dextra rudimentis Romanaque vota moratur.  
523 Quis decor, incedis quotiens clipeatus et auro  
524 squameus et rutilus cristis et casside major !  
525 Sic, cum Threicia primum sudaret in hasta,  
526 flumina laverunt puerum Rhodopeia Martem.  
527 Quae vires jaculis vel, cum Gortynia tendis  
528 spicula, quam felix arcus certique petitor  
529 vulneris et jussum mentiri nescius ictum !  
530 Scis quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas  
531 Armenius, refugo quae sit fiducia Partho.  
532 Sic Amphioniae pulcher sudore palestrae  
533 Alcides pharetras Dircaeaque tela solebat  
534 praetemptare feris olim domitura Gigantes  
535 et pacem latura polo, semperque cruentus  
536 ibat et Alcmenae praedam referebat ovanti.  
537 Caeruleus tali prostratus Apolline Python  
538 implicuit fractis moritura volumina silvis.  
539 Cum vectaris equo simulacraque Martia ludis,  
540 quis molles sinuare fugas, qui tendere contum  
541 acrior aut subitos melior flexisse recursus ?  
542 Non te Massagetae, non gens exercita campo  
543 Thessala, non ipsi poterunt aequare bimembres ;  
544 vix comites alae, vix te suspensa sequuntur  
545 agmina ferventesque tument post terga dracones.  
546 Utque tuis primum sonipes calcaribus arsit,  
547 ignescunt patulae nares, non sentit harenas  
548 ungula discussaeque jubae sparguntur in armos.  
549 Turbantur phalerae ; spumosis morsibus aurum  
550 fumat, anhelantes exundant sanguine gemmae.  
551 Ipse labor pulvisque decet confusaque motu  
552 caesaries ; vestis radiato murice solem  
553 conbibit, ingesto crispatur purpura vento.  
554 Si dominus legeretur equis, tua posceret ultro  
555 verbera Nereidum stabulis nutritus Arion  
556 serviretque tuis contempto Castore frenis  
557 Cyllarus et flavum Xanthus sprevisset Achillem.  
558 Ipse tibi famulas praeberet Pegasus alas

559 portaretque libens, melioraque pondera passus  
560 Bellerophontean indignaretur habenas.  
561 Quin etiam velox Aurorae nuntius Aethon,  
562 qui fugat hinnitu stellas, roseoque domatur  
563 Lucifero, quoties equitem te cernit ab astris,  
564 invidet inque tuis mavult spumare lupatis.  
565 Nunc quoque quos habitus, quantae miracula pompae  
566 vidimus, Ausonio cum jam succinctus amictu  
567 per Ligurum populos solito conspectior ires  
568 atque inter niveas alte veherere cohortes,  
569 obnixisque simul pubes electa lacertis  
570 sidereum gestaret onus ! Sic numina Memphis  
571 in vulgus proferre solet ; penetralibus exit  
572 effigies, brevis illa quidem ; sed plurimus infra  
573 liniger imposito suspirat vecte sacerdos  
574 testatus sudore deum ; Nilotica sistris  
575 ripa sonat Phariosque modos Aegyptia ducit  
576 tibia ; submissis admugit cornibus Apis.  
577 Omnis nobilitas, omnis tua sacra frequentat  
578 Thybridis et Latii suboles ; convenit in unum  
579 quidquid in orbe fuit procerum, quibus auctor honoris  
580 vel tu vel genitor. Numeroso consule consul  
581 cingeris et socios gaudes admittere patres.  
582 Illustri te prole Tagus, te Gallia doctis  
583 civibus et toto stipavit Roma senatu.  
584 Portatur juvenum cervicibus aurea sedes  
585 ornatuque novo gravior deus. Asperat Indus  
586 velamenta lapis pretiosaque fila smaragdis  
587 ducta virent ; amethystus inest et fulgor Hiberus  
588 temperat arcanis hyacinthi caerulea flammis.  
589 Nec rudis in tali suffecit gratia textu ;  
590 auget acus meritum, picturatumque metallis  
591 vivit opus ; multaque ornatur iaspide vultus,  
592 et variis spirat Nereia baca figuris.  
593 Quae tantum potuit digitis mollire rigorem  
594 ambitiosa colus ? Vel cujus pectinis arte  
595 traxerunt solidae gemmarum stamina telae ?  
596 Invia quis calidi scrutatus stagna profundi  
597 Tethyos invasit gremium ? Quis divitis algae  
598 germina flagrantis inter quaesivit harenas ?  
599 Quis junxit lapides ostro ? Quis miscuit ignes  
600 Sidonii Rubrique maris ? Tribuere colorem  
601 Phoenices, Seres subtegmina, pondus Hydaspes.  
602 Hoc si Maeonias cinctu graderere per urbes,  
603 in te pampineos proferret Lydia thyrsos,  
604 in te Nysa choros ; dubitarent orgia Bacchi,  
605 cui furerent ; irent blandae sub vincula tigres.  
606 Talis Erythraeis intextus nebrida gemmis  
607 Liber agit currus et Caspia flectit eburnis  
608 colla jugis ; Satyri circum crinemque solutae  
609 Maenades adstringunt hederis victricibus Indos ;  
610 ebrius hostili velatur palmite Ganges.  
611 Aspice : mox laetum sonuit clamore tribunal  
612 te Fastos ineunte quater. Sollemnia ludit  
613 omina libertas ; deductum Vindice morem  
614 lex celebrat, famulusque jugo laxatus erili  
615 ducitur et grato remeat securior ictu.  
616 Tristis condicio pulsata fronte recedit.

617 In civem rubuere genae, tergoque removit  
 618 verbera promissi felix injuria voti.  
 619 Prospera Romuleis sperantur tempora rebus  
 620 in nomen ventura tuum. Praemissa futuris  
 621 dant exempta fidem : quotiens te cursibus aevi  
 622 praefecit, totiens accessit laurea patri.  
 623 Ausi Danubium quondam tranare Gruthungi  
 624 in lintres fregere nemus ; ter mille ruebant  
 625 per fluvium plenae cuneis immanibus alni.  
 626 Dux Odotheus erat. Tanta conamina classis  
 627 incipiens aetas et primus contudit annus :  
 628 submersae cecidere rates ; fluitantia numquam  
 629 largius Arctos pavere cadavera pisces ;  
 630 corporibus premitur Peuce ; per quinque recurrens  
 631 ostia barbaricos vix egerit unda cruores,  
 632 confessusque parens Odothei regis opima  
 633 rettulit exuviasque tibi. Civile secundis  
 634 conficis auspiciis bellum. Tibi debeat orbis  
 635 fata Gruthungorum debellatumque tyrannum :  
 636 Hister sanguineos egit te consule fluctus ;  
 637 Alpinos genitor rupit te consule montes.  
 638 Sed patriis olim fueras successibus auctor,  
 639 nunc eris ipse tuis. Semper venere triumphi  
 640 cum trabeis sequiturque tuos Victoria fasces.  
 641 Sis, precor, assiduus consul Mariique relinquis  
 642 et senis Augusti numerum. Quae gaudia mundi,  
 643 per tua lanugo cum serpere coeperit ora,  
 644 cum tibi prodiderit festas Nox pronuba taedas !  
 645 Quae tali devota toro, quae murice fulgens  
 646 ibit in amplexus tanti regina mariti ?  
 647 Quenam tot divis veniet nurus, omnibus arvis  
 648 et toto dotanda mari ? Quantusque feretur  
 649 idem per Zephyri metas hymenaeus et Euri !  
 650 O mihi si liceat thalamis intendere carmen  
 651 conubiale tuis, si te jam dicere patrem !  
 652 Tempus erit, cum tu trans Rheni cornua victor,  
 653 Arcadius captae spoliis Babylonis onustus  
 654 communem majore toga signabitis annum :  
 655 crinitusque tuo sudabit fasce Suevus,  
 656 ultima fraternas horrebunt Bactra secures.

PANEGYRICUS DE SEXTO CONSULATU HOHORII AUGUSTI

PRAEFATIO

PH3\_1 v.1 Omnia, quae sensu voluntur vota diurno,  
 2 pectore sopito reddit amica quies.  
 3 Venator defessa toro cum membra reponit,  
 4 mens tamen ad silvas et sua lustra redit.  
 5 Judicibus lites, aurigae somnia currus  
 6 vanaque nocturnis meta cavetur equis.  
 7 Furto gaudet amans, permutat navita merces  
 8 et vigil elapsas quaerit avarus opes,  
 9 blandaque largitur frustra sitientibus aegris

10           irriguus gelido pocula fonte sopor.  
 11 Me quoque Musarum studium sub nocte silenti  
 12           artibus assuetis sollicitare solet.  
 13 Namque poli media stellantis in arce videbar  
 14           ante pedes summi carmina ferre Jovis.  
 15 Utque favet somnus, plaudebant numina dictis  
 16           et circumfusi sacra corona chori.  
 17 Enceladus mihi carmen erat vinctusque Typhoeus :  
 18           hic subit Inarimen, hunc gravis Aetna domat.  
 19 Quam laetum post bella Jovem susceperat aether  
 20           Phlegraeae referens praemia militiae !  
 21 Additur ecce fides nec me mea lusit imago,  
 22           irrita nec falsum somnia misit ebur.  
 23 En Princeps, en orbis apex aequatus Olympo !  
 24           En quales memini, turba verenda, Deos !  
 25 Fingere nil majus potuit sopor, altaque vati  
 26           conventum caelo praebuit aula parem.

PANEGYRICUS DE SEXTO CONSULATU HOHORII AUGUSTI

PH3\_2   v.1   Aurea Fortunae reduci si templa priores  
           2   ob reditum volvere ducum, non dignius umquam  
           3   haec dea pro meritis amplas sibi posceret aedes,  
           4   quam sua cum pariter trabeis reparatur et urbi  
           5   majestas : neque enim campus sollempnis et urna  
           6   luditur in morem, species nec dissona coetu  
           7   aut peregrina nitet simulati juris imago.  
           8   Indigenas habitus nativa palatia sumunt,  
           9   et, patriis plebem castris sociante Quirino,  
 10   Mars augusta sui renovat suffragia campi.  
 11   Qualis erit terris, quem mons Evandrius offert  
 12   Romanis avibus, quem Thybris inaugurat, annus ?  
 13   Quamquam omnes, quicumque tui cognominis, anni  
 14   semper inoffensum dederint successibus omen  
 15   sintque tropaea tuas semper comitata secures,  
 16   hic tamen ante omnes miro promittitur ortu,  
 17   Urbis et Augusti geminato numine felix.  
 18   Namque velut stellas Babylonia cura salubres  
 19   optima tunc spondet mortalibus edere fata,  
 20   caelicolae cum celsa tenent summoque feruntur  
 21   cardine nec radios humili statione reconduunt :  
 22   haud aliter Latiae sublimis Signifer aulae,  
 23   imperii sidus propria cum sede locavit,  
 24   auget spes Italas ; et certius omnia surgunt  
 25   victrici concepta solo. Cum pulcher Apollo  
 26   lustrat Hyperboreas Delphis cessantibus aras,  
 27   nil tum Castaliae rivis communibus undae  
 28   dissimiles, vili nec discrepat arbore laurus,  
 29   antraque maesta silent inconsultique recessus.  
 30   At si Phoebus adest et frenis grypha jugalem  
 31   Riphaeo tripodas repetens detorsit ab axe,  
 32   tunc silvae, tunc antra loqui, tunc vivere fontes,  
 33   tunc sacer horror aquis adytisque effunditur Echo  
 34   clarior et doctae spirant praesagia rupes.  
 35   Ecce Palatino crevit reverentia monti  
 36   exultatque habitante deo potioraque Delphis  
 37   supplicibus late populis oracula pandit  
 38   atque suas ad signa jubet revirescere laurus.

39 Non alium certe decuit rectoribus orbis  
40 esse larem, nulloque magis se colle potestas  
41 aestimat et summi sentit fastigia juris ;  
42 attollens apicem subjectis regia rostris  
43 tot circum delubra videt tantisque deorum  
44 cingitur excubiis ! Juvat infra tecta Tonantis  
45 cernere Tarpeia pendentes rupe Gigantas  
46 caelatasque fores mediisque volantia signa  
47 nubibus et densum stipantibus aethera templis  
48 aeraque vestitis numerosa puppe columnis  
49 consita subnixasque jugis immanibus aedes,  
50 naturam cumulante manu, spoliisque micantes  
51 innumeros arcus. Acies stupet igne metalli  
52 et circumfuso trepidans obtunditur auro.  
53 Agnoscisne tuos, princeps venerande, penates ?  
54 Haec sunt, quae primis olim miratus in annis  
55 patre pio monstrante puer. Nil optimus ille  
56 divorum toto meruit felicius aevo,  
57 quam quod Romuleis victor sub moenibus egit  
58 te consorte dies, cum se melioribus addens  
59 exemplis civem gereret terrore remoto,  
60 alternos cum plebe jocos dilectaque passus  
61 jurgia patriciasque domos privataque passim  
62 visere deposito dignatus limina fastu.  
63 Publicus hinc ardescit amor, cum moribus aequis  
64 inclinat populo regale modestia culmen.  
65 Teque rudem vitae, quamvis diademate necdum  
66 cingebare comas, socium sumebat honorum  
67 purpureo fotum gremio, parvumque triumphis  
68 imbuit et magnis docuit praeludere fatis.  
69 Et linguis variae gentes missique rogatum  
70 foedera Persarum proceres cum patre sedentem  
71 hac quondam videre domo positoque tiaram  
72 submittere genu. Tecum praelarga vocavit  
73 ditandas ad dona tribus : fulgentia tecum  
74 collecti trabeatus adit delubra senatus  
75 Romano puerum gaudens offerre favori,  
76 ut novus imperio jam tunc assuesceret heres.  
77 Hinc tibi concreta radice tenacius haesit  
78 et penitus totis inolevit Roma medullis,  
79 dilectaeque urbis tenero conceptus ab ungue  
80 tecum crevit amor. Nec te mutare reversum  
81 evaluit propria nutritor Bosphorus arce.  
82 Et quotiens optare tibi quae moenia malle  
83 alludens genitor regni pro parte dedisset,  
84 divitis Aurorae solium sortemque paratam  
85 sponte remittebas fratri : " Regat ille volentes  
86 Assyrios ; habeat Pharium cum Tigride Nilum ;  
87 contingat mea Roma mihi. " Nec vota fefellit  
88 eventus. Fortuna novum molita tyrannum  
89 jam tibi quaerebat Latium belloque secundo  
90 protinus Eoa velox accitus ab aula  
91 suscipis Hesperiam patrio bis Marte receptam.  
92 Ipsa per Illyricas urbes, Oriente relicto,  
93 ire Serena comes nullo deterrita casu,  
94 materna te mente fovens Latioque futurum  
95 rectorem generumque sibi seniore supernas  
96 jam repetente plagas. Illo sub cardine rerum

97 sedula servatum per tot discrimina pignus  
 98 restituit sceptris patrui castrisque mariti.  
 99 Certavit pietate domus, fidaeque reductum  
 100 conjugis officio Stilichonis cura recepit.  
 101 Felix ille parens, qui te securus Olympum  
 102 succedente petit ! Quam laetus ab aethere cernit  
 103 se factis crevisse tuis ! Duo namque fuere  
 104 Europae Libyaeque hostes : Maurusius Atlas  
 105 Gildonis Furias, Alaricum barbara Peuce  
 106 nutrierat, qui saepe tuum sprevere profana  
 107 mente patrem. Thracum venienti e finibus alter  
 108 Hebrici clausit aquas ; alter praecepta vocantis  
 109 respuit auxiliisque ad proxima bella negatis  
 110 abjurata palam Libyae possederat arva :  
 111 quorum nunc meritam repetens non immemor iram  
 112 suppliciiis fruitur natoque ultore triumphat.  
 113 Ense Thyestiadae poenas exegit Orestes,  
 114 sed mixtum pietate nefas dubitandaque caedis  
 115 Gloria, materno laudem cum crimine pensat ;  
 116 pavit Iuleos invisio sanguine manes  
 117 Augustus, sed falsa pii praeconia sumpsit  
 118 in luctum patriae civili strage parentans :  
 119 at tibi causa patris rerum conjuncta saluti  
 120 bellorum duplicat laurus, isdemque tropaeis  
 121 reddita libertas orbi, vindicta parenti.  
 122 Sed mihi jam pridem captum Parnasia Maurum  
 123 Pieriis egit fidibus chelys ; arma Getarum  
 124 nuper apud socerum plectro celebrata recenti.  
 125 Adventus nunc sacra tui libet edere Mosis  
 126 grataque patratis exordia sumere bellis.  
 127 Jam Pollentini tenuatus funere campi  
 128 concessaque sibi (rerum sic admonet usus)  
 129 luce, tot amissis sociis atque omnibus una  
 130 direptis opibus, Latio discedere jussus  
 131 hostis et immensi revolutus culmine fati  
 132 turpe retexit iter. Qualis piratica puppis,  
 133 quae cunctis infensa fretis scelerumque referta  
 134 divitiis multasque diu populata carinas  
 135 incidit in magnam bellatricemque triremim,  
 136 dum praedam de more putat ; viduataque caesis  
 137 remigibus, scissis velorum debilis alis,  
 138 orba gubernaculis, antennis saucia fractis  
 139 ludibrium pelagi vento jactatur et unda,  
 140 vastato tandem poenas luitura profundo :  
 141 talis ab urbe minas retro flectebat inanes  
 142 Italiam fugiens, et quae venientibus ante  
 143 prona fuit, jam difficilis, jam dura reversis.  
 144 Clausa putat sibi cuncta pavor, retroque relictos  
 145 quos modo temnebat, rediens exhorruit amnes.  
 146 Undosa tum forte domo vitreisque sub antris  
 147 rerum ignarus adhuc ingentes pectore curas  
 148olvebat pater Eridanus : quis bella maneret  
 149 exitus ? Imperiumne Jovi legesque placerent  
 150 et vitae Romana quies, an jura perosus  
 151 ad priscos pecudum damnaret saecula ritus ?  
 152 Talia dum secum movet anxius, advolat una  
 153 Naiadum resoluta comam, complexaque patrem  
 154 " en Alaricus " ait " non qualem nuper ovantem

155 vidimus : exsanguis, genitor, mirabere vultus.  
156 Percensere manum tantaque ex gente juvabit  
157 relliquias numerasse breves. Jam desine maesta  
158 fronte queri Nymphasque choris jam redde sorores. "  
159 Dixerat ; ille caput placidis sublime fluentis  
160 extulit, et totis lucem spargentia ripis  
161 aurea roranti micuerunt cornua vultu.  
162 Non illi madidum vulgaris harundine crinem  
163 velat honos ; rami caput umbravere virentes  
164 Heliadum totisque fluunt electra capillis.  
165 Palla tegit latos umeros, curruque paterno  
166 intextus Phaethon glaucos incendit amictus.  
167 Fultaque sub gremio caelatis nobilis astris  
168 aetherium probat urna decus. Namque omnia luctus  
169 argumenta sui Titan signavit Olympo :  
170 mutatumque senem plumis et fronde sorores  
171 et Fluvium, nati qui vulnera lavit anhelii ;  
172 stat gelidis Auriga plagis : vestigia fratris  
173 Germanae servant Hyades, Cygnique sodalis  
174 lacteus extentas aspergit circulus alas ;  
175 stelliger Eridanus sinuatis flexibus errans  
176 clara Noti convexa rigat gladioque tremendum  
177 gurgite sidereo subterluit Oriona.  
178 Hoc deus effulgens habitu prospexit euntes  
179 dejecta cervice Getas ; tunc talia fatur :  
180 "Sicine mutatis properas, Alarice, reverti  
181 consiliis ? Italae sic te jam paenitet orae ?  
182 Nec jam cornipedem Thybrino gramine pascis,  
183 ut rebare, tuum ? Tuscis nec figis aratrum  
184 collibus ? O cunctis Erebi dignissime poenis,  
185 tune Giganteis urbem temptare deorum  
186 aggressus furiis ? Nec te meus, improbe, saltem  
187 terruit exemplo Phaethon, qui fulmina praeceps  
188 in nostris efflavit aquis, dum flammea caeli  
189 flectere terrenis meditatur frena lacertis  
190 mortalique diem sperat diffundere vultu ?  
191 Crede mihi, simili bacchatur crimine, quisquis  
192 adspirat Romae spoliis aut Solis habenis. "  
193 Sic fatus, Ligures Venetosque erectior amnes  
194 magna voce ciet. Frondentibus umida ripis  
195 colla levant : pulcher Ticinus et Addua visu  
196 caerulus et velox Athesis tardusque meatu  
197 Mincius inque novem consurgens ora Timavus.  
198 Insultant omnes profugo pacataque laetum  
199 invitant ad prata pecus ; jam Pana Lycaeum,  
200 jam Dryadas revocant et rustica numina Faunos.  
201 Tu quoque non parvum Getico, Verona, triumpho  
202 adjungis cumulum, nec plus Pollentia rebus  
203 contulit Ausoniis aut moenia vindicis Hastae.  
204 Hic, rursus dum pacta movet damnisque coactus  
205 extremo mutare parat praesentia casu,  
206 nil sibi perjurum sensit prodesse furorem  
207 converti nec fata loco, multisque suorum  
208 diras pavit aves, inimicaque corpora volvens  
209 Ionios Athesis mutavit sanguine fluctus.  
210 Oblatum Stilicho violato foedere Martem  
211 omnibus arripuit votis, ubi Roma periculo  
212 jam procul et belli medio Padus arbiter ibat.

213 Jamque opportunam motu strepuisse rebelli  
214 gaudet perfidiam praebensque exempla labori  
215 sustinet accensos aestivo pulvere soles.  
216 Ipse manu metuendus adest inopinamque cunctis  
217 instruit arma locis et qua vocat usus ab omni  
218 parte venit. Fesso si deficit agmine miles,  
219 utitur auxiliis damni securus, et astu  
220 debilitat saevum cognatis viribus Istrum  
221 et duplici lucro committens proelia vertit  
222 in se barbariem nobis utrimque cadentem.  
223 Ipsum te caperet letoque, Alarice, dedisset,  
224 ni calor incauti male festinatus Alani  
225 dispositum turbasset opus : prope captus anhelum  
226 verberere cogis equum, nec te vitasse dolemus.  
227 I potius genti reliquus tantisque superstes  
228 danuvii populis, i, nostrum vive tropaeum.  
229 Non tamen ingenium tantis se cladibus atrox  
230 deicit : occulto temptabat tramite montes,  
231 Si qua per scopulos subitas exquirere posset  
232 in Raetos Gallosque vias. Sed fortior obstat  
233 cura ducis. Quis enim divinum fallere pectus  
234 possit et excubiis vigilantia lumina regni ?  
235 Cujus consilium non umquam repperit hostis  
236 nec potuit texisse suum. Secreta Getarum  
237 nosse prior celerique dolis occurrere sensu.  
238 Omnibus exclusus coeptis consedit in uno  
239 colle tremens ; frondesque licet depastus amaras  
240 arboreo figat sonipes in cortice morsus  
241 et taetris collecta cibis annique vapore  
242 saeviat aucta lues et miles probra superbus  
243 ingerat obsesso captivamque pignora monstret ;  
244 Non tamen aut morbi tabes aut omne periculum  
245 docta subire fames aut praedae luctus ademptae  
246 aut pudor aut dictis movere procacibus irae,  
247 ut male temptato totiens se credere campo  
248 comminus auderet. Nulla est victoria major,  
249 quam quae confessos animo quoque subjugat hostes.  
250 Jamque frequens rarum decerpere transfuga robur  
251 coeperat inque dies numerus decrescere castris,  
252 nec jam deditio paucis occulta parari,  
253 sed cunei totaque palam discedere turmae.  
254 Consequitur vanoque fremens clamore retentat  
255 cumque suis jam bella gerit ; mox nomina supplex  
256 cum fletu precibusque ciet veterumque laborum  
257 admonet et frustra jugulum parcentibus offert,  
258 defixoque malis animo sua membra suasque  
259 cernit abire manus : qualis Cybeleia quassans  
260 Hyblaeus procul aera senex revocare fugaces  
261 tinnitu conatur apes, quae sponte relictis  
262 descivere favis, sonituque exhaustus inani  
263 raptas mellis opes solitaeque oblita latebrae  
264 perfida deplorat vacuis examina ceris.  
265 Ergo ubi praeclusae voci laxata remisit  
266 frena dolor, notas oculis umentibus Alpes  
267 adspicit et nimium diversi stamine fati  
268 praesentes reditus fortunatosque revolvit  
269 ingressus : solo peragens tum murmure bellum  
270 protento leviter frangebatur murmure conto

271 irridens scopulos ; nunc desolatus et exspes  
272 debita pulsato reddit spectacula monti.  
273 Tunc sic Ausonium respectans aethera fatur :  
274 "Heu regio funesta Getis, heu terra sinistris  
275 auguriis calcata mihi, satiare nocentum  
276 cladibus et tandem nostris inflectere poenis !  
277 En ego, qui toto sublimior orbe ferebar  
278 ante tuum felix aditum, ceu legibus exsul  
279 addictusque reus flatu propiore sequentum  
280 terga premor. Quae prima miser, quae funera dictis  
281 posteriora querar ? Non me Pollentia tantum  
282 nec captae cruciastis opes : hoc aspera fati  
283 sors tulerit Martisque vices. Non funditus armis  
284 concideram ; stipatus adhuc equitumque catervis  
285 integer ad montes reliquo cum robore cessi,  
286 quos Apenninum perhibent. Hunc esse ferebat  
287 incola, qui Siculum porrectus ad usque Pelorum  
288 finibus ab Ligurum populos complectitur omnes  
289 Italiae geminumque latus stringentia longe  
290 utraque perpetuo discriminat aequora tractu.  
291 Haec ego continuum si per juga tendere cursum,  
292 ut prior iratae fuerat sententia menti,  
293 jam desperata voluissem luce, quid ultra ?  
294 Omnibus oppeterem fama majore perustis !  
295 Et certe moriens propius te, Roma, viderem,  
296 ipsaque per cultas segetes mors nostra secuto  
297 Victori damnosa foret. Sed pignora nobis  
298 Romanus carasque nurus praedamque tenebat.  
299 Hoc magis exsertum raperem succinctior agmen.  
300 Heu, quibus insidiis, qua me circumdedit arte  
301 fatalis semper Stilicho ! Dum parcere fingit,  
302 rettudit hostiles animos bellumque remenso  
303 evaluit transferre Pado. Pro foedera saevo  
304 deteriora jugo ! Tunc vis exstincta Getarum ;  
305 tunc mihi, tunc letum pepigi. Violentior armis  
306 omnibus expugnat nostram clementia gentem,  
307 Mars gravior sub pace latet, capiorque vicissim  
308 fraudibus ipse meis. Quis jam solacia fesso  
309 consiliumve dabit ? Socius suspectior hoste.  
310 Atque utinam cunctos licuisset perdere bello !  
311 Nam quisquis duro cecidit certamine, numquam  
312 desinit esse meus. Melius mucrone perirent,  
313 auferretque mihi luctu levioere sodales  
314 victa manus quam laesa fides. Nullusne clientum  
315 permanet ? Offensi comites, odere propinqui.  
316 Quid moror invisam lucem ? Qua sede recondam  
317 naufragii fragmenta mei ? Quaeve arva requiram,  
318 in quibus haud umquam Stilicho nimiumque potentis  
319 Italiae nomen nostras circumsonet aures ? "  
320 Haec memorans instante fugam Stilichone tetendit  
321 expertas horrens aquilas ; comitatur euntem  
322 pallor et atra Fames et saucia lividus ora  
323 luctus et inferno stridentes agmine Morbi.  
324 Lustralem tum rite facem, cui lumen odorum  
325 sulphure caeruleo nigroque bitumine fumat,  
326 circum membra rotat doctus purganda sacerdos  
327 rore pio spargens, et dira fugantibus herbis  
328 numina purificumque Jovem Triviamque precatus

329 trans caput aversis manibus jaculatur in Austrum  
 330 secum rapturas cantata piacula taedas.  
 331 Acrior interea visendi principis ardor  
 332 accendit cum plebe patres et saepe negatum  
 333 flagitat adventum : nec tali publica vota  
 334 consensu tradunt atavi caluisse per urbem,  
 335 Dacica bellipotens cum fregerat Ulpus arma  
 336 atque indignantes in jura redegerat Arctos,  
 337 cum fasces cinxere Hypanin mirataque leges  
 338 Romanum stupuit Maeotia terra tribunal.  
 339 Nec tantis patriae studiis ad templa vocatus,  
 340 Clemens Marce ,redis, cum gentibus undique cinctam  
 341 exuit Hesperiam paribus Fortuna periclis.  
 342 Laus ibi nulla ducum ; nam flammeus imber in hostem  
 343 decidit ; hunc dorso trepidum fumante ferebat.  
 344 Ambustus sonipes : hic tabescente solutus  
 345 subsedit galea liquefactaque fulgure cuspis  
 346 canduit et subitis fluxere vaporibus enses.  
 347 Tum contenta polo mortalis nescia teli  
 348 pugna fuit : Chaldaea mago seu carmina ritu  
 349 armavere deos, seu, quod reor, omne Tonantis  
 350 obsequium Marci mores potuere mereri.  
 351 Nunc quoque praesidium Latio non deesset Olympi,  
 352 deficeret si nostra manus ; sed providus aether  
 353 noluit humano titulos auferre labori,  
 354 ne tibi jam, princeps, soceri sudore paratam,  
 355 quam meruit virtus, ambirent fulmina laurum.  
 356 Jam totiens missi proceres responsa morandi  
 357 rettulerant, donec differri longius urbis  
 358 communes non passa preces penetralibus altis  
 359 prosiluit vultusque palam confessa coruscos  
 360 impulit ipsa suis cunctantem Roma querellis :  
 361 "Dissimulata diu tristes in amore repulsas  
 362 vestra parens, Auguste, queror. Quonam usque tenebit  
 363 praelatus mea vota Ligus ? Vetitumque propinqua  
 364 luce frui, spatiis discernens gaudia parvis,  
 365 torquebit Rubicon vicino nomine Thybrim ?  
 366 Nonne semel sprevisse satis, cum reddita bellis  
 367 Africa venturi lusit spe principis urbem  
 368 nec duras tantis precibus permovimus aures ?  
 369 Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires,  
 370 electi candoris equos et nominis arcum  
 371 jam molita tui, per quem radiante decorus  
 372 ingrederere toga, pugnae monumenta dicabam  
 373 defensam titulo Libyam testata perenni.  
 374 Jamque parabantur pompae simulacra futurae  
 375 Tarpeio spectanda Jovi : caelata metallo  
 376 classis ut auratum sulcaret remige fluctum,  
 377 ut Massyla tuos anteirent oppida currus  
 378 Palladiaque comas innexus harundine Triton  
 379 edomitis veheretur aquis et in aere trementem  
 380 succinctae famulum ferrent Atlanta cohortes,  
 381 ipse Jugurthinam subiturus carcere poenam  
 382 praeberet fera colla jugo, vi captus et armis,  
 383 non Bocchi Syllaeque dolis. Sed prima remitto.  
 384 Num praesens etiam Getici me laurea belli  
 385 declinare potest ? Sedesve capacior ulla  
 386 tantae laudis erit ? Tua te benefacta morantem

387 conveniunt, meritisque suis obnoxia virtus  
388 quod servavit amat. Jam flavescentia centum  
389 messibus aestivae detondent Gargara falces,  
390 spectatosque iterum nulli celebrantia ludos  
391 circumflexa rapit centenus saecula consul :  
392 his annis, qui lustra mihi bis dena recensent,  
393 nostra ter Augustos intra pomeria vidi,  
394 temporibus variis : eadem sed causa tropaei  
395 civilis dissensus erat. Venere superbi,  
396 scilicet ut Latio respersos sanguine currus  
397 adspicerem ! Quisquamne piae laetanda parenti  
398 natorum lamenta putet ? Periere tyranni,  
399 sed nobis periere tamen. Cum Gallica vulgo  
400 proelia jactaret, tacuit Pharsalica Caesar.  
401 Namque inter socias acies cognataque signa  
402 ut vinci miserum, numquam vicisse decorum.  
403 Restituat priscum per te jam gloria morem  
404 verior, et fructum sincerae laudis ab hoste  
405 desuetam jam redde mihi justisque furoris  
406 externi spoliis sontes absolve triumphos.  
407 Quem, precor, ad finem laribus sejuncta potestas  
408 exsulat imperiumque suis a sedibus errat ?  
409 Cur mea quae cunctis tribuere Palatia nomen  
410 neglecto squalent senio ? Nec creditur orbis  
411 illinc posse regi ? Medium non deserit umquam  
412 caeli Phoebus iter, radiis tamen omnia lustrat.  
413 Segnius an veteres Histrum Rhenumque tenebant,  
414 qui nostram coluere domum ? Leviusve timebant  
415 Tigris et Euphrates, cum foedera Medus et Indus  
416 hinc peteret pacemque mea speraret ab arce ?  
417 Hic illi mansere viri, quos mutua virtus  
418 legit et in nomen Romanis rebus adoptans  
419 iudicio pulchram seriem, non sanguine duxit ;  
420 hic proles atavum deducens Aelia Nervam  
421 tranquillique Pii bellatoresque Severi.  
422 Hunc civis dignare chorum conspectaque dudum  
423 ora refer, pompam recolens ut mente priorem,  
424 quem tenero patris comitem susceperat aevo,  
425 Nunc duce cum socero juvenem te Thybris adoret. "  
426 Orantem medio princeps sermone refovit :  
427 "Numquam aliquid frustra per me voluisse dolebis,  
428 dea, nec legum fas est occurrere matri.  
429 Sed nec post Libyam (falsis ne perge querellis  
430 incusare tuos) patriae mandata vocantis  
431 spreverimus : advectae misso Stilichone curules,  
432 ut nostras tibi, Roma, vices pro principe consul  
433 impleret generoque socer. Vidistis in illo  
434 me quoque ; sic credit pietas non sanguine solo,  
435 sed claris potius factis experta parentem.  
436 Cuncta quidem centum nequeam perstringere linguis,  
437 quae pro me mundoque gerit ; sed ab omnibus unum,  
438 Si fama necdum patuit, te, Roma, docebo  
439 subjectum nostris oculis et cujus agendi  
440 spectator vel causa fui. Populator Achivae  
441 Bistoniaeque plagae, crebris successibus amens  
442 et ruptas animis spirans immanibus Alpes  
443 jam Ligurum trepidis admoverat agmina muris  
444 tutior auxilio brumae (quo gentibus illis

445 sidere consueti favet inclementia caeli)  
446 meque minabatur calcato obsidere vallo  
447 spem vano terrore fovens, si forte, remotis  
448 praesidiis, urgente metu, qua vellet obirem  
449 condicione fidem : nec me timor impulit ullus  
450 et duce venturo fretum memoremque tuorum,  
451 Roma, ducum, quibus haud umquam vel morte parata  
452 foedus lucis amor pepigit dispendia famae.  
453 Nox erat et late stellarum more videbam  
454 barbaricos ardere focos ; jam classica primos  
455 excierant vigiles, gelida cum pulcher ab Arcto  
456 adventat Stilicho. Medius sed clauserat hostis  
457 inter me socerumque viam pontemque tenebat,  
458 Addua quo scissas spumiosior incitat undas.  
459 Quid faceret ? Differret iter ? Discrimina nullas  
460 nostra dabant adeunda moras. Perrumperet agmen ?  
461 Sed paucis comitatus erat ; nam plurima retro,  
462 dum nobis properat succurrere, liquerat arma  
463 extera vel nostras acies. Hoc ille locatus  
464 ancipiti, longum socias tardumque putavit  
465 exspectasse manus et nostra pericula tendit  
466 posthabitis pulsare suis mediumque per hostem  
467 flammatus virtute pia propriaeque salutis  
468 immemor et stricto prosternens obvia ferro  
469 barbara fulmineo secuit tentoria cursu.  
470 Nunc mihi Tydiden attollant carmina vatum,  
471 quod juncto fidens Ithaco patefacta Dolonis  
472 indicio dapibusque simul religataque somno  
473 Thracia sopiti penetraverit agmina Rhesi  
474 Graiaque rettulerit captos ad castra jugales,  
475 quorum, si qua fides audentibus omnia Musis,  
476 impetus excessit Zephyros candorque pruinas.  
477 Ecce virum, taciti nulla qui fraude soporis  
478 ense palam sibi pandit iter remeatque cruentus  
479 et Diomedeis tantum praeclarior ausis,  
480 quantum lux tenebris manifesta proelia furtis !  
481 Adde quod et ripis steterat munitior hostis  
482 et cui nec vigilem fas est componere Rhesum :  
483 Thrax erat, hic Thracum domitor. Non tela retardant,  
484 obice non haesit fluvii. Sic ille minacem  
485 Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens  
486 trajecit clipeo Thybrim, quo texerat urbem,  
487 Tarquinio mirante Cocles mediisque superbus  
488 Porsennam respexit aquis. Celer Addua nostro  
489 sulcatus socero : sed, cum transnaret, Etruscis  
490 Ille dabat tergum, Geticis hic pectora bellis.  
491 Exere nunc doctos tantae certamina laudis,  
492 Roma, choros et, quanta tuis facundia pollet  
493 ingeniis, nostrum digno sonet ore parentem."  
494 Dixit et antiquae muros egressa Ravennae  
495 signa movet ; jamque ora Padi portusque relinquit  
496 flumineos, certis ubi legibus advena Nereus  
497 aestuat et pronas puppes nunc amne secundo,  
498 Nunc redeunte vehit nudataque litora fluctu  
499 deserit, Oceani lunaribus aemula damnis.  
500 Laetior hinc fano recipit Fortuna vetusto,  
501 despiciturque vagus praerupta valle Metaurus,  
502 qua mons arte patens vivo se perforat arcu

503 admisitque viam sectae per viscera rupis,  
504 exsuperans delubra Jovis saxoque minantes  
505 Appenninigenis cultas pastoribus aras.  
506 Quin et Clitumni sacras victoribus undas,  
507 candida quae Latiis praebent armenta triumphis,  
508 visere cura fuit ; nec te miracula fontis  
509 praetereunt, tacito passu quem si quis adiret,  
510 lentus erat ; si voce gradum majore citasset,  
511 commixtis fervebat aquis ; cumque omnibus una  
512 sit natura vadis, similes ut corporis undas  
513 ostendant, haec sola novam jactantia sortem  
514 humanos properant imitari flumina mores.  
515 Celsa dehinc patulum prospectans Narnia campum  
516 regali calcatur equo, rarique coloris  
517 Non procul amnis abest, urbi qui nominis auctor :  
518 ilice sub densa silvis artatus opacis  
519 inter utrumque jugum tortis anfractibus albet.  
520 Inde salutato libatis Thybride lymphis  
521 excipiunt arcus operosaque semita vastis  
522 molibus et quidquid tantae praemittitur urbi.  
523 Ac velut officiis trepidantibus ora puellae  
524 spe propiore tori mater sollertior ornat  
525 adveniente proco vestesque et cingula comit  
526 saepe manu viridique angustat iaspide pectus  
527 substringitque comam gemmis et colla monili  
528 circuit et bacis onerat candentibus aures :  
529 sic oculis placitura tuis insignior auctis  
530 collibus et nota major se Roma videndam  
531 obtulit. Addebant pulchrum nova moenia vultum  
532 audito perfecta recens rumore Getarum,  
533 profecitque opifex decori timor, et vice mira,  
534 quam pax intulerat, bello discussa senectus  
535 erexit subitas turres cunctosque coegit  
536 septem continuo colles juvenescere muro.  
537 Ipse favens votis solitoque decentior aer,  
538 quamvis assiduo noctem foedaverat imbre,  
539 principis et solis radiis deterosa removit  
540 nubila ; namque ideo pluviis turbaverat omnes  
541 ante dies lunamque rudem madefecerat Auster,  
542 ut tibi servatum scirent convexa serenum.  
543 Omne Palatino quod pons a colle recedit  
544 Mulvius et quantum licuit consurgere tectis,  
545 una replet turbae facies : undare videres  
546 ima viris, altas effulgere matribus aedes.  
547 Exsultant juvenes aequavi principis annis :  
548 temnunt prisca senes et in hunc sibi prospera fati  
549 gratantur durasse diem moderataque laudant  
550 tempora, quod clemens aditu, quod pectore solus  
551 Romanos vetuit currum praecedere patres :  
552 cum tamen Eucherius, cui regius undique sanguis,  
553 atque Augusta soror fratri praeberet ovanti  
554 militis obsequium ; sic illum dura parentis  
555 instituit pietas in se vel pignora parci  
556 quique neget nato, procerum quod praestat honori.  
557 Haec sibi curva senum maturaque comprobata aetas  
558 idque inter veteris speciem praesentis et aulae  
559 judicat : hunc civem, dominos venisse priores.  
560 Conspicuas tum flore genas, diademate crinem

561 membraque gemmato trabeae viridantia cinctu  
562 et fortes umeros et certatura Lyaeo  
563 inter Erythraeas surgentia colla smaragdos  
564 mirari sine fine nurus ; ignaraque virgo,  
565 cui simplex calet ore pudor, per singula cernens  
566 nutricem consultat anum : quid fixa draconum  
567 ora velint ? Ventis fluitent an vera minentur  
568 sibila suspensum rapturi faucibus hostem ?  
569 Ut chalybe indutos equites et in aere latentes  
570 vidit cornipedes : "Quanam de gente" rogabat  
571 " ferrati venere viri ? Quae terra metallo  
572 nascentes informat equos ? Num Lemnius auctor  
573 indidit hinnitum ferro simulacraque belli  
574 viva dedit ? " Gaudet metuens et pollice monstrat,  
575 quod picturatas galeae Junonia cristas  
576 ornet avis vel quod rigidos vibrata per armos  
577 rubra sub aurato crispentur serica dorso.  
578 Tunc tibi magnorum mercem Fortuna laborum  
579 persolvit, Stilicho, curru cum vectus eodem  
580 Urbe triumphantem generum florente juventa  
581 conspiceres illumque diem sub corde referres,  
582 quo tibi confusa dubiis formidine rebus  
583 infantem genitor moriens commisit alendum.  
584 Virtutes variae fructus sensere receptos ;  
585 depositum servasse, fides ; constantia, parvum  
586 praefecisse orbi ; pietas, fovisse propinquum.  
587 Hic est ille puer, qui nunc ad Rostra Quirites  
588 evocat et solio fultus genitoris eburno  
589 gestarum patribus causas ex ordine rerum  
590 eventusque refert veterumque exempla secutus  
591 digerit imperii sub iudice facta senatu.  
592 Nil cumulat verbis quae nil fiducia celat ;  
593 fucati sermonis opem mens conscia laudis  
594 abnuit. Agnoscunt proceres ; habituque Gabino  
595 principis et ducibus circumstipata togatis  
596 jure paludatae jam curia militat aulae.  
597 Adfuit ipsa suis ales Victoria templis  
598 Romanae tutela togae : quae divite penna  
599 patricii reverenda fovet sacraria coetus  
600 castrorumque eadem comes indefessa tuorum  
601 Nunc tandem fruitur votis atque omne futurum  
602 te Romae seseque tibi promittit in aevum.  
603 Hinc te jam patriis laribus via nomine vero  
604 sacra refert. Flagrat studiis concordia vulgi,  
605 quam non illecebris dispersi colligis auri ;  
606 nec tibi venales captant aeraria plausus  
607 corruptura fidem : meritis offertur inemptus  
608 pura mente favor. Nam munere carior omni  
609 obstringit sua quemque salus. Procul ambitus erret !  
610 Non quaerit pretium, vitam qui debet amori.  
611 O quantum populo secreti numinis addit  
612 imperii praesens genius ! Quantamque rependit  
613 majestas alterna vicem, cum regia circi  
614 conexam gradibus veneratur purpura vulgus,  
615 assensuque cavae sublatus in aethera vallis  
616 plebis adoratae reboat fragor, unaque totis  
617 intonat Augustum septenis arcibus Echo !  
618 Nec solis hic cursus equis : assueta quadrigis

619 cingunt arva trabes, subitaeque adspectus harenae  
620 diffundit Libycos aliena valle cruores.  
621 Haec et belligeros exercuit area lusus,  
622 armatos haec saepe choros, certaue vagandi  
623 textas lege fugas inconfusosque recursus  
624 et pulchras errorum artes jucundaue Martis  
625 cernimus. Insonuit cum verbere signa magister,  
626 mutatos edunt pariter tot pectora motus  
627 in latus adlisis clipeis aut rursus in altum  
628 vibratis ; grave parma sonat, mucronis acutum  
629 murmur, et umbonum pulsu modulante resultans  
630 ferreus alterno concentus clauditur ense.  
631 Una omnis submissa phalanx tantaeque salutant  
632 te, princeps, galeae. Partitis inde catervis  
633 in varios docto discurritur ordine gyros,  
634 quos neque semiviri Gortynia tecta juvenci  
635 flumina nec crebro vincant Maeandria flexu.  
636 Discreto revoluta gradu torquentur in orbis  
637 agmina, perpetuisque immoto cardine claustris  
638 Janus bella premens laeta sub imagine pugnae  
639 armorum innocuos paci largitur honores.  
640 Jamque novum fastis aperit felicibus annum  
641 ore coronatus gemino ; jam Thybris in uno  
642 et Bruti cernit trabeas et sceptrum Quirini.  
643 Consule laetatur post plurima saecula viso  
644 Pallanteus apex ; agnoscunt rostra curules  
645 auditas quondam proavis, desuetaque cingit  
646 regius auratis fora fascibus Ulpia lictor,  
647 et sextas Getica praevelans fronde secures  
648 colla triumphati proculcat Honorius Histri.  
649 Exeat in populos cunctis illustrior annus,  
650 natus fonte suo, quem non aliena per arva  
651 induit hospes honos, cujus cunabula fovit  
652 curia, quem primi tandem videre Quirites,  
653 quem domitis auspex peperit Victoria bellis !  
654 Hunc et privati titulis famulantibus anni  
655 et, quos armipotens genitor retroque priores  
656 diversis gessere locis, ceu numen adorent ;  
657 hunc et quinque tui vel quos habiturus in urbe  
658 post alios, Auguste, colant. Licet unus in omnes  
659 consul eas, magno sextus tamen iste superbit  
660 nomine : praeteritis melior, venientibus auctor.